



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCLI. ad annum CCCCLXXV.

Parisiis, 1644

III. De familiaritate extranearum feminaru[m] clericis interdicta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14887

ANNO CHRISTI 461. fuerit constitutum, vt quicumque sacerdos vel leuita filiorum procreationi operam dare fuisset conuictus, a communione dominica abstineretur: nos tamen huic distinctioni moderationem adhibentes, & iustam constitutionem molientes, id decreuimus, vt sacerdos vel leuita coniugali concupiscentiae inhærens, vel a filiorum procreatione non definens, ad altiorem gradum non ascendat, neque sacrificium Deo offerre, vel plebi ministrare præsumat. Sufficiat his tantum, vt a communione non efficiantur alieni. Sed vt hæc valeant obseruari, fomitem omnium vitiorum oportet abscidi, Apostolo præcipiente: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Et quam graui ebrietas supplicio expietur, idem apostolica manifestat doctrina, inter cetera dicens, neque fornicatores, neque idolis servientes, neque ebriosos regnum Dei possessuros. Si quis vero in omni officio clericali Deo militans ab ebrietate se non abstinuerit, secundum status sui ordinem competens in eum vindicta tribuatur.

III.

Et quia nullum diabolo locum dari oportet, Iuo part. 6.
cap. 191. hoc præcipue custodiendum decreuimus, vt nullam clerici cum extraneis feminis habeant familiaritatem, ne vllum male loquendi vel sentiendi hominibus aditum tribuant: quia frequenter per hanc indecentem occasionem contigit, vt diabolus, qui insidiatur sicut leo in cubili suo, de ruina servorum Dei insultet. Si quis vero clericus, post interdictum episcopi sui, illicitis familiaritatibus ex-

PPP iii

tranearum feminarum voluerit inhærere , a communione habeatur alienus.

ANNO
CHRISTI
461.

IV.

Vt clericus , cui nubendi datur licentia , inter-
nuptam non accipiat vxorem . quod si fecerit , vlti-
mum in officio clericali teneat locum .

V.

Si quis vero clericus , relicto officii sui ordine ,
laicam voluerit agere vitam , vel se militiae tradide-
rit , excommunicationis poena feriatur .

VI.

Qui vero se sacratis virginibus per coniunctio-
nem nefandam miscuerint , vel propositum pro-
fessæ religionis dereliquerint , utriusque a commu-
nione habeantur alieni ; quia si quis templum Dei
violauerit , disperdet illum Deus : donec resipi-
scentes a laqueo diaboli , a quo capti tenentur ad
ipsius voluntatem , ad auxilium pœnitentiæ reuer-
tantur .

VII.

Homicidis penitus non communicandum , do-
nec per confessionem pœnitentiæ ipsorum crimi-
na diluantur .

VIII.

Si quis vero post acceptam pœnitentiam , sicut
canis ad vomitum suum , ita ad sæculares illecebras ,
derelicta quam professus est pœnitentia , fuerit ré-
uersus , a communione ecclesiæ , vel a conuiuio fi-
delium extraneus habeatur , quo facilius & ipse
compunctionem per hanc confusionem accipiat ,
& alii eius terreantur exemplo .